

2. Præterea. Profunda sapientia non sunt nisi perfectis exponenda, secundum illud I. ad Corinth. 11. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Sed doctrina Christi continebat profundissimam sapientiam. Non ergo erat imperfectæ multitudini communicanda.

3. Præterea. Idem est veritatem aliquam occultare silentio, & obscuritate verborum. Sed Christus veritatem, quam prædicabat, occultabat turbis obscuritate verborum; quia sine parabolis non quæbatur ad eos, ut dicitur Matth. 13. 11. Ergo pari ratione poterat occultare silentio.

Sed contra est quod ipse dicit Joan. xviii. 20. *In occulto locutus sum nihil*.

Respondeo dicendum, quod doctrina alius potest esse in occulto tripliciter. Uno modo quantum ad intentionem docentis, qui intendit suam doctrinam non manifestare multis, sed magis occultare. Quod quidem contingit dupliciter: Quandoque ex invidia docentis, qui vult per suam scientiam excellere: & ideo scientiam suam non vult aliis communicare: quod in Christo locum non habuit, ex cuius persona dicitur Sap. viii. 13. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communi*, & honestatem illius non abscondo: quandoque vero hoc contingit propter inhonestatem eorum quæ docentur, sicut Augustinus dicit super Joann. (tract. xvi. circ. fin.) quod quidam sunt mala que portare non potest qualiscunque pudor humanus. Unde de doctrina hæreticorum dicitur Proverb. 18. 17. *Aqua furiosæ dulcior est*. Doctrina autem Christi non est neque de errore, neque de immunditia. Et ideo Dominus dicit Marci 16. 21. *Numquid venit lucerna, ut abscondatur? Alio modo aliqua doctrina est in occulto, quia paucis proponitur: & sic Christus etiam nihil docuit in occulto: quia Christus omnem doctrinam suam, vel turbæ toti proposuit, vel omnibus suis discipulis in communi. Unde Augustinus dicit super Joann. (tract. cxiii. in med.) *Quis in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur; præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innovare multis? Tercio modo aliqua doctrina est in occulto quantum ad modum docendi: & sic Christus quædam turbis loquebatur in occulto, parabolis utens ad annuncianda spiritualia mysteria, ad quæ capienda non erant idonei, vel digni: & tamen melius erat eis, vel sic sub tegumento parabolarum spiritualium doctrinam audire quam omnino ea privari. Harum tamen parabolarum apertam, & nudam veritatem Dominus discipulis exponebat, per quos deveniret ad alios, qui essent idonei, secundum illud II. Timoth. 1. 2. *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus benivolis, qui idonei erunt & alios do-***

cent. Et hoc significatum est Num. 17. ubi mandatur, quod filii Aaron involverent vasa sanctuarii, quæ Levitæ involuta portarent.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Hilarius dicit super Matth. (can. x. à med.) exponens illud verbum indudum, *non legitis Dominum solitum fuisse noctibus sermônari, & doctrinam tradidisse in tenebris; sed hoc dicit, quia omnis sermo ejus carnalibus tenebre sunt, & verbum ejus infidelibus nox est. Itaque quod à se dictum est, cum libertate fidei, & confessionis vult esse loquendum*.

Vel secundum Hieronymum (in hunc loc.) comparative loquitur, quia videlicet eruditæ eos in parvo Judææ loco respectu totius mundi, in quo erat per Apostolorum prædicationem doctrina Christi publicanda.

Ad secundum dicendum, quod Dominus non omnia profunda suæ sapientiæ sua doctrina manifestavit, non solum turbis, sed nec etiam discipulis, quibus dixit Joann. xvi. 12. *Abhuc multa habeo vobis dicere, que non potestis portare modo*. Sed tamen quodcumque dignum duxit aliis tradere de sua sapientia, non in occulto, sed palam proposuit, licet non ab omnibus intelligeretur. Unde Augustinus dicit super Joann. (tract. cxiii. in med.) *Intelligendum est ita dixisse Dominum, Palam locutus sum mundo, ac si dixisset, Multi me audierunt: Et rursus non erat palam, quia non intelligebant*.

Ad tertium dicendum, quod turbis Dominus in parabolis loquebatur, sicut dictum est (in cor. art.) quia non erant digni, nec idonei nudam veritatem accipere, quam discipulis exponebat. Quod autem dicitur, *quod sine parabolis non loquebatur eis, secundum Chrysostomum* (in hom. xlvi. in Matth. circ. prin.) intelligendum est quantum ad illum sermonem; quamvis alias sine parabolis multa turbis locutus fuerit.

Vel secundum Augustinum in lib. de questionibus Evang. (scilicet secundum Matth. quæst. xv. in princ.) hoc dicitur, *non qui nihil proprie locutus est, sed qui a nullum fere sermonem explicavit, ubi non per parabolam aliquid significaverit; quamvis in eo aliqua proprie dixerit*.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus deberit doctrinam suam scripto tradere.

Hebr. viii. lect. 2.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus doctrinam suam deberit scripto tradere. Scriptura enim inventa est ad hoc quod doctrina commendetur memoriæ in futurum. Sed doctrina Christi duratura erat in æternum, secundum illud Luc. xxi. 33. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Ergo videtur quod Christus deberit suam doctrinam scripto mandare.

2. Præterea. Lex vetus in figura Christi præcessit, secundum illud Heb. x. 1. *Umbram habentem futurorum bonorum*. Sed lex vetus à Deo fuit descripta, secundum illud Exodi xxiv. 12. *Dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem, ac mandata, que scripsi*. Ergo videtur quod etiam Christus doctrinam suam scribere deberet.

3. Præterea. Ad Christum, qui venerat illuminare his qui in tenebris, & umbra mortis sedent, ut dicitur Luc. 1. 79. pertinebat erroris occasiones excludere, & viam fidei aperire. Sed hoc fecisset doctrinam suam scribendo: dicit enim Augustinus in I. de consensu Evang. (cap. vii. ante med.) quod sicut nonnulli movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere: hoc enim illi, & maxime pagani querunt, qui Christum culpant, aut blasphemare non audent, eique tribuant excellentissimam sapientiam, sed tamen tanquam homini; discipulis vero ejus dicunt magistro suo amplius tribuisse quam erat, ut eum Filium Dei dicerent, & Verbum Dei, per quod facti sunt omnia: & postea subdit: *Videntur parati fuisse hoc de illo credere quod de se ipse scripserit, non quod alii de illo pro suo arbitrio prædicassent*. Ergo videtur quod Christus ipse doctrinam suam scripto tradere deberit.

Sed contra est quod nulli libri ab eo scripti habentur in canone Scripturæ.

Respondeo dicendum, conveniens fuisse Christum doctrinam suam non scripsisse. Primo quidem propter dignitatem ipsius: excellentiori enim doctori excellentior modus doctrine debetur. Et ideo Christo, tanquam excellentissimo doctori, hic modus competebar, ut doctrinam suam auditorum cordibus imprimeret. Propter quod dicitur Matth. vii. 29. *quod erat docent eos, sicut potestatem habent*. Unde etiam apud Gentiles Pythagoras, & Socrates, qui fuerunt excellentissimi doctores,

nihil scribere voluerunt. Scriptura enim ordinatur ad impressionem doctrine in cordibus auditorum, sicut ad finem. Secundo propter excellentiam doctrine Christi, quæ literis comprehendere non potest, secundum illud Joann. ult. 25. *Sunt & alia multa, que fecit Jesus; que si scribantur per singula, nec finem arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros: quos, sicut Augustinus dicit (tract. ult. in Joann. ad fin.) non spacio locorum credendum est mundum capere non posse, sed capacitate legentium comprehendere non posse*. Si autem Christus scripto doctrinam suam mandasset, nihil altius de ejus doctrina homines æstimarent quam quod scriptura contineret. Tertio ut ordine quodam ab ipso doctrina ad omnes perveniret; dum ipse scilicet discipulos suos immediate docuit, qui postmodum alios verbo, & scripto docuerunt. Si autem ipsemet scripsisset, ejus doctrina immediate ad omnes pervenisset. Unde & de sapientia Dei dicitur Prov. ix. 3. *quod misit ancillas suas (a vocare ad arcem)*.

Sciendum tamen est, sicut Augustinus dicit in I. de consensu Evang. (cap. ix. & x.) aliquos Gentiles existimasse, Christum quosdam libros scripsisse continentes quædam magica, quibus miracula faciebat, quæ disciplina christiana condemnata. Et illi tamen qui Christi libros tales se legisse affirmant, nulla ratio facit, quæ illa illum libris talibus scripsisse mirarentur. Divino enim judicio sic erant, ut eosdem libros ad Petrum, & Paulum dicens tanquam epistolari titulo prænotator, eo quod in pluribus locis simul eos cum Christo pictor viderunt. Nec mirum, si à pingentibus fingentes decepti sunt: toto enim tempore quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus ejus.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in eodem libro (cap. ult. ad fin.) *Omnibus discipulis suis tanquam membris sui corporis Christus caput est. Itaque cum illi scripserunt quæ ille ostendit, & dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra ejus id operata sunt quod distans capite cognoverunt, quæquid enim ille de suis fecit, & dixit nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis membris, imperavit*.

Ad secundum dicendum, quod quia lex vetus in sensibilibus figuris dabatur, ideo etiam convenienter sensibilibus signis scripta fuit. Sed doctrina Christi, quæ est lex spiritus, scribi debuit non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, ut Apostolus dicit II. Cor. iii. 3.

Ad illi qui scripturæ Apostolorum de Christo credere noluerunt

(a) Vulgata ut vocarent.

vita sua non legitur Christus aliquod miraculum circa caelestia corpora fecisse; quinimmo Pharisæis petentibus ab eo signum de caelo, eis dare renuit, ut habetur Matth. xxi. & xvi. Ergo videtur nec in morte circa caelestia corpora aliquod miraculum facere debuerit.

Sed contra est quod dicitur Luc. xxiii. *Tenebræ factæ sunt in universa terra usque ad horam nonam, & obscuratus est Sol.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. præc. art. 4.) miracula Christi talia esse debebant ut sufficienter eum esse Deum ostenderent. Hoc autem non ita evidenter ostenditur per transmutationes corporum inferiorum, quæ etiam ab aliis causis moveri possunt, sicut per transmutationem cursus caelestium corporum, quæ a solo Deo sunt immobiliter ordinata: & hoc est quod Dionysius dicit in epist. ad Polycarpum (v. 11. parum ante med.) *Cognoscere oportet non aliter aliquando posse aliquid perverti celestis ordinationis, & motus, nisi causam haberet ad hoc moventem, quæ facit omnia, & mutat secundum suum sermone.* Et ideo conveniens fuit, ut Christus miracula faceret etiam circa caelestia corpora.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut inferioribus corporibus naturale est moveri à celestibus corporibus, quæ sunt superiora secundum naturam ordinem; ita etiam naturale est cuiuslibet creature ut transmutetur à Deo secundum eius voluntatem. Unde Augustinus dicit XXVI. contra Faustum, (cap. 111. ante med.) & habetur in Gloss. (ordin.) Roman. xi. super illud, *Contra naturam insertus est &c.*, Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit: quia idest cuique rei natura, quod facit: & ita non corrumpitur natura caelestium corporum, cum eorum cursus immutatur à Deo; corrumpitur autem, si ab aliqua alia causa immutaretur.

Ad secundum dicendum, quod per miraculum à Christo factum non est perversus ordo temporum. Nam secundum quosdam ille tenebræ, vel Solis obscuratio, quæ in passione Christi accidit, fuit propter hoc quod Sol suos radios retraxit, nulla immutatione facta circa motum caelestium corporum, secundum quem tempora mensurantur. Unde Hieronymus dicit super Matth. (sup. illud cap. xxvi. 1. *A sexta autem hora:*) *Videtur luminare majus retraxisse radios suos, ne aut pendente videret Dominum, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur.* Talis autem retractio radiorum non est sic intelligenda, quasi Sol in sua potestate habeat radios emittere, vel retrahere: non enim electione, sed ex natura radios emittit, ut dicit Dionysius IV. c. de div. Nom. (cir. princ. lect. 1.) sed Sol dicitur retraxisse radios, in-

quantum divina virtute factum est ut Solis radii ad terram non pervenirent. Origenes autem dicit, hoc accidisse per interpositionem nubium. Unde super Matth. dicit: (tracl. xxxv. à med.) *Conveniens est intelligere quasdam tenebrosissimas nubes multas, & magnas concurrisse super Hierusalem, & terram Judææ: & ideo factæ sunt tenebræ profundæ à sexta hora usque ad nonam. Arbitror enim, sicut cetera signa quæ facta sunt in passione, scilicet quod velum templi est scissum, quod terra tremuit &c. in Hierusalem tantummodo facta sunt, ita & hoc.* Aut si latius voluerit quis extendere ad terram Judææ, propter hoc quod dicitur: *Tenebræ factæ sunt in universa terra:* quod intelligitur de terra Judææ: sicut in III. Lib. Reg. (cap. xviii.) dixit Abdias ad Eliam: *Vivit Dominus Deus tuus, quis non est gens, aut regnum, ubi non miserit dominus meus quærire te: ostendens quod eum quæsierat in gentibus quæ sunt circa Judæam.* Sed circa hoc magis credendum est Dionysio, qui oculata fide inspicit hoc accidisse per interpositionem Lunæ inter nos & Solem: dicit enim in epist. ad Polycarpum (v. 11. à med.) *Inopinabiliter Soli Lunam incidentem videbamus, in Ægypto scilicet existentes, ut ibidem dicitur: & designat ibi quatuor miracula.*

Quorum primum est quod naturalis eclipsis Solis per interpositionem Lunæ nunquam accidit, nisi tempore conjunctionis Solis, & Lunæ. Tunc autem erat Luna in oppositione ad Solem, quintadecima existens, quia erat Pascha Judæorum. Unde dicit: *Non enim erat conjunctio, nisi tempus.*

Secundum miraculum est quod cum circa horam sextam Luna visa fuisset simul cum Sole in medio cæli, in vespere apparuit suo loco, idest in Oriente opposita Soli. Unde dicit *Rufinus ipsam vidimus, scilicet Lunam, à vicia hora, in qua, scilicet recessit à Sole cessantibus tenebris usque ad vesperam supernaturaliter restitutam ad diametrum Solis, idest ut diametraliter esset Sol opposita.* Et sic patet quod non est turbatus consuetus temporum cursus: quia divina virtute factum est & quod ad Solem supernaturaliter accederet præter tempus debitum, & quod à Sole recedens in locum proprium restitueretur tempore debito.

Tertium miraculum est quod naturalis eclipsis semper incipit ab occidentali parte Solis, & pervenit usque ad orientalem: & hoc ideo, quia Luna secundum proprium motum, quo movetur ab Occidente in Orientem, est velocior Sole in suo proprio motu: & ideo Luna ab Occidente veniens attingit Solem, & pertranfit ipsum, ad Orientem tendens. Sed tunc Luna jam pertranstiverat Solem, & distabat ab eo quasi per medietatem cir-

circuli, in oppositione existens: unde oportuit quod reverteretur ad Orientem versus Solem, & attingeret ipsum primo ex parte orientali, procedens versus Occidentem. Et hoc est quod dicit: *Eclipsin etiam ipsam ex Oriente vidimus incubatam, & usque ad solarem terminum venientem (quia totum Solem eclipsavit) postea regredientem.*

Quartum miraculum fuit, quod in naturali eclipsi ex eadem parte incipit Sol prius reapparere, ex qua parte incepit prius obscurari: quia scilicet Luna se Soli subjiciens, naturali suo motu Solem pertranfit versus Orientem: & ita partem occidentalem, quam primo occupat, primo etiam derelinquit: & sic ex parte orientali inchoata fuit eclipsis, sed in parte occidentali prius incepit claritas apparere. Et hoc est quod dicit: *Et rursus vidimus non ex eodem, idest non ex eadem parte Solis, & defilem, & purgationem, sed è converso secundum diametrum factam.*

Quintum miraculum addit Chrysostomus super Matth. (hom. lxxxix. parum à princ.) dicens, quod *tribus horis tunc tenebræ permanferant, cum eclipsi Soli in momento pertransierat, non enim habet moram, ut sciunt illi qui consideraverunt.* Unde datur intelligi, quod Luna quieverit sub Sole. Nisi forte velimus dicere, quod tempus tenebrarum computatur ab instanti quo Sol incepit obscurari, usque ad instanti in quo totaliter fuit repurgatus. Sed sicut Origenes dicit super Matth. (loc. sup. cit.) *adversus hoc filii scæli hujus dicunt: Quomodo hoc factum tam mirabile vemo Græcorum, aut Barbarorum scripsit? Et dicit, quod quidam, nomine Phlegon, in Chronicis suis scripsit, hoc in principatu Tiberii Cæsaris factum; sed non signavit quod fuerit in Luna plena. Potuit ergo hoc contingere, quia Astrologi ubique terrarum tunc temporis existentes, non sollicitabantur de observanda eclipsi, quia tunc tempus non erat; sed illam obscuritatem ex aliqua passione aeris accidere putaverunt; sed in Ægypto, ubi raro nubes apparent propter aeris serenitatem, permotus est Dionysius, & socii ejus, ut prædicta circa illam obscuritatem observarent.*

Ad tertium dicendum, quod tunc præcipue oportebat in Christo Divinitatem per miracula ostendere, quando in eo maxime

apparebat infirmitas secundum humanam naturam. Et ideo in Christo nativitate stellæ nova in caelo apparuit: unde Maximus dicit in serm. Nativit. (iv. cir. fi.) *Si præsepe despicis, erige parumper oculos, & novam in caelo stellam præstantem mundo nativitatem dominicam conture.* In passione autem adhuc major infirmitas circa humanitatem Christi apparuit: & ideo oportuit ut majora miracula ostenderentur circa principalia mundi luminaria: & sicut Chrysostomus dicit super Matth. (hom. lxxxix. in princ.), hoc est signum quod petentibus promittere daret, dicens: *Generatio prava, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophætæ: crucem significans, & resurrectionem. Etenim multo mirabilius est in eo qui crucifixus erat, hoc fieri, quam ambulante eo super terram.*

ARTICULUS III.

Utrum conveniret Christus circa homines miracula fecerit.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter Christus circa homines miracula fecerit. In homine enim potior est anima quam corpus. Sed circa corpora multa miracula Christus fecit; circa animas vero nulla miracula legitur fecisse: nam neque aliquos incredulos ad fidem virtuose convertit, sed admonendo; & exteriora miracula ostendendo; neque etiam aliquos fatuos sapientes legitur fecisse. Ergo videtur quod non conveniret sic circa homines miracula operatus.

2. Præterea. Sicut supra dictum est (quæst. præc. art. 2.) Christus faciebat miracula virtute divina, cuius, quod quidam, nomine Phlegon, in Chronicis suis scripsit, hoc in principatu Tiberii Cæsaris factum; sed non signavit quod fuerit in Luna plena. Potuit ergo hoc contingere, quia Astrologi ubique terrarum tunc temporis existentes, non sollicitabantur de observanda eclipsi, quia tunc tempus non erat; sed illam obscuritatem ex aliqua passione aeris accidere putaverunt; sed in Ægypto, ubi raro nubes apparent propter aeris serenitatem, permotus est Dionysius, & socii ejus, ut prædicta circa illam obscuritatem observarent.

Ad tertium dicendum, quod tunc præcipue oportebat in Christo Divinitatem per miracula ostendere, quando in eo maxime

(a) Magnam hic lectionum varietatem inveniunt Theologi, & Madalena: ubique eandem invenimus, si articulo in ed. Rom. pro miraculose (quod edis. habent, & in Alcan. cod. deest) excipiat.

3. Præterea, Christus post baptismum, & tentationem cepit discipulos congregare, ut legitur Matth. 10. & Joana. 1. Sed discipuli præcipue congregati sunt ad ipsum propter miracula; sicut dicitur Luc. 9. quod Petrum vocavit obtulissent propter miraculum quod fecerat in captura piscium. Ergo videtur quod ante miraculum quod fecit in nuptiis, fecerat alia miracula.

Sed contra est quod dicitur Joan. 11. 11. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilee.

Respondeo dicendum, quod miracula facta sunt à Christo propter confirmationem doctrinæ ejus, & ad ostendendam virtutem divinitatis in ipso. Et ideo quantum ad primum non debuit ante miracula facere quam docere in ciperet: non autem debuit incipere docere ante perfectam ætatem, ut supra habitum est (quæst. xxxix. art. 3.) cum de baptismo ejus ageretur. Quantum autem ad secundum, sic debuit per miracula Deitatem ostendere, ut crederetur veritas humanitatis ipsius. Et ideo, sicut dicit Chryostomus super Joan. (hom. xxx. parum ante med.) deo non incipit signa facere in prima ætate: existimassent enim pharisæi esse incarnationem, & ante opportunum tempus cruci eum tradidissent.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Chryostomus dicit super Joan. ex verbo Joannis Baptiste dicens: Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptisanti, (hom. xvi. circ. med.) manifestum est quod illa signa quæ quidam dicunt in pueritia à Christo facta, mendacia, & fictiones sunt. Si enim à prima ætate miracula fecisset Christus, neque Joannes eum ignorasset, neque reliqua multitudo indignisset magistro ad manifestandum eum.

Ad secundum dicendum, quod Dei virtus operabatur in Christo, secundum quod erat necessarium ad salutem humanam, propter quam carnem assumerat. Et ideo sic miracula fecit virtute divina, ut fidei de veritate carnis ejus prejudicium non fieret.

Ad tertium dicendum, quod hoc ipsum ad laudem discipulorum pertinet quod Christum secuti sunt, cum nulla eum miracula facere viderent; sicut Gregorius dicit in quadam homilia. (v. in Evang. in princ.) Et Chryostomus dicit (hom. 22. in Joannis parum à princ.) Tunc signa maxime necessaria erant facere, quando discipuli jam congregati erant, & devoti, & attendentes his que fiebant: unde subditur Joan. 11. 11. Et crediderunt in eum discipuli ejus: non quia tunc primum crediderunt, sed quia tunc diligentius, & perfectius crediderunt. Vel discipulos vocat eos qui fuerunt erant discipuli, sicut exponit Augustinus in lib. II. de consensu Evangelistarum (cap. xvi. à med.)

ARTICULUS IV. 237

Utrum miracula per Christum facta sufficienter ejus Divinitatem ostendant.

III. dist. xv. quæst. 1. art. 1. & dist. xvi. quæst. 1. art. 3. corp. & I. cont. cap. vi. & lib. IV. cap. lv. ad 8. & quodl. 11. art. 6. ad 4. & Joan. xv. lect. 5.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod miracula quæ Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendam divinitatem ipsius. Esse enim Deum, & hominem, proprium est Christo. Sed miracula quæ Christus fecit, etiam ab aliis fieri facta. Ergo videtur quod non fuerint sufficientia ad ostendendam divinitatem ipsius.

2. Præterea, Virtute divina nihil est majus. Sed aliqui fecerunt majora miracula quam Christus: dicitur enim Joann. xiv. 12. Qui credit in me, opera que ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet. Ergo videtur quod miracula quæ Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendam divinitatem ipsius.

3. Præterea, Ex particulari non sufficienter ostenditur universale. Sed quodlibet miraculorum Christi fuit quoddam particulare opus. Ergo ex nullo eorum potuit manifestari sufficienter Divinitas Christi, ad quam pertinet universale virtutem habere de omnibus.

Sed contra est quod Dominus dicit Joan. v. 36. Opera que dedi mihi Pater ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me.

Respondeo dicendum, quod miracula, quæ Christus fecit, sufficientia erant ad manifestandam Divinitatem ipsius, secundum tria. Primo quidem secundum ipsam speciem operum, quæ transcendebant omnem potestatem creatæ virtutis, & ideo non poterant fieri nisi virtute divina. Et propter hoc cæcus illuminatus dicebat Joann. ix. 32. A faculo non est auditum, quia aperuit quis oculos: tunc nati nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Secundo propter modum miracula faciendi, quia fecisset quasi ex propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alii: unde dicitur Luc. vi. 19. quod virtus de illo exibat, & sanabat omnes: per quod ostenditur, sicut Cyrillus dicit, (lib. XII. Theaur. cap. xi. circ. med.) quod, non accipiebat alienam virtutem; sed cum esset naturaliter Deus, propriam virtutem super infirmos ostendebat; & propter hoc in numeris

merabilia miracula faciebat. Unde super illud Matth. viii. Ejiciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curavit, dicit Chryostomus (hom. xxviii. in Matth. parum à princ.) intende quantum multitudinem hominum curatam transcurrunt Evangelistæ, non unumquemque curatum enarrantes, sed uno verbo pelagus inestabile miraculorum inducentes. Et ex hoc ostendebatur quod haberet virtutem coequalem Deo Patri, secundum illud Joan. v. 19. Quicumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit: & ibidem: Sicut Pater suscitavit mortuos, & vivificavit, sic & Filius hominis quos vult vivificat. Tertio est ipsa doctrina, quæ se Deum dicebat; quæ nisi vera esset, non confirmaretur miraculis divina virtute factis: & ideo dicitur Marci i. 27. Quanam doctrina hæc nova, quia in possessate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?

Ad primum ergo dicendum, quod hæc erat objectio Gentilium. Unde Augustinus dicit in epist. ad Volusianum (cxxxvi. al. 111. à med.) Nullis, inquit, competentibus signis tantæ majestatis indicia claruerunt: quia larvæ illi illa purgato, quæ scilicet demones effugabat, debilitatis, reddita visa defunctis, & alia confiderentur, Deo parva sunt. Et ad hoc respondet Augustinus: Fatemur & nos talia quædam fecisse Prophetas; sed ipse Moyses, & ceteri Prophetæ Dominum Jesum prophetaverunt, & ei gloriam magnam dederunt. Qui propterea talia & ipse facere voluit, ne esset absurdum, quæ per illos fecerat, si ipse etiam non faceret. Sed tamen aliquid proprium facere debuit, nasci de virgine, resurgere à mortuis, calum ascendere. Hæc Deo qui parum parat, quid plus expectet ignoro. Num homine assumpto alium mundum facere debuit, ut eum esse crederemus, per quem factus est mundus? Sed nec major mundus, nec isti equalis in hoc mundo fieri possit. Si autem minorem faceret infra seipsum, similiter hoc quoque parum pararetur. Quæ tamen alii fecerunt, Christus excellentius fecit. Unde super illud Joan. xv. Si opera non fecissem in eis que nemo alius fecit, &c. dicit Augustinus (tract. xc1. à princ.) Nulla in operibus Christi videtur esse majora quam suscitatio mortuorum; quod scimus etiam antiquos fecisse Prophetas. Fecit tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit. Sed respondetur nobis, & alios fecisse quæ nec ipse, nec alius fecit. Sed qui tam multa vitia, & malas valetudines, vexationesque mortuum tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum. Et enim taceam, quos jubendo, sicut occurtebat, salvos singulos fecit, Marcus dicit, quod quocumque loco introibat in vicis, aut in villas, aut in civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum ut vel simbria vel

timenti ejus tangerent; & quotquot tangebant eum, salvi fiebant. Hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait in eis, non inter eos, aut coram eis, sed profors in eis, quia sanavit eos. Nec tamen alius quicumque in eis talia opera fecit: quoniam quisquis alius homo alius quid eorum fecit, ipso faciente fecit; hoc autem ipse non illis facientibus fecit.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus (tract. lxxi. ad fin.) exponens illud verbum Joannis, inquit, quæ sint ista opera majora, quæ credentes in eum erant facturi: An forte quod egros ipsi transeuntibus etiam eorum umbra sanabat? majus est enim quod sanet umbra quam simbria. Verumtamen quando ista Christus dicebat, verborum suorum facta, & opera commendabat. Cum enim dixit, pater in me manens ipse facit opera, quæ opera tunc dicebat, nisi verba quæ loquebatur? Et eorumdem verborum fructus erat fides illorum. Verumtamen evangelizantibus discipulis, non tam pauci, quam illi erant; sed gentes etiam crederunt. (Quæ sequuntur, habentur tract. lxxxi.) Nonne ab ore ipsius dives ille tristes abscesit, qui ab eo vitæ æternæ consilium quesivit? & tamen postea quod ab illo auditum non fecit unus, fecerunt multi, cum per discipulos loqueretur. Ecce majora fecit prædicatus à creditibus quam locutus audientibus. Verum hoc adhuc movet quod hæc majora per Apostolos fecit. Non autem ipsos tantum significans ait: Qui credit in me, opera que ego facio, & ipse faciet. Audi ergo, & intellige: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Prius ego facio, deinde & ipse faciet: Quia facio ut faciat. Quæ opera, nisi ut ex impio justus fiat? quod utique in illo, sed non sine illo Christus operatur. Profors majus hoc esse dixerim quam creare cælum, & terram. Cælum enim, & terra transibunt; prædestinatorum autem salus, & justificatio permanent. Sed & in cælis Angelis sunt opera Christi. Numquid etiam his operibus, majora facit qui cooperatur Christo ad suam justificationem? Judicat qui potest, utrum majus sit justis creare quam impios justificare. Certe si equalis est utrumque potentia, hoc majoris est misericordie. Sed omnia opera Christi intelligere; ubi aut Majora horum faciet, nulla nos necessitas cogit. Horum enim fortissimè dixit cum illa hora faciebat. Tunc autem verba dei faciebat. Et utique nimis est præter justitiam prædicare, quod fecit præter

nos, quam impios justificare, quod ita factum sit in nobis ut faciamus, & nos.

Ad tertium dicendum, quod quando aliquod particulare opus proprium est alicujus agentis, tunc per illud particulare opus probatur tota virtus agentis; sicut cum ratiocinari sit proprium hominis, ostenditur aliquis esse homo ex hoc ipso quod ratiocinatur circa quocumque particulare propositum. Et similiter cum propria virtute miracula facere sit solius Dei, sufficienter ostensum est Christum esse Deum, ex quocumque miraculo quod propria virtute fecit.

QUÆSTIO XLIV.

De singulis miraculorum speciebus,
in quatuor articulis divisâ.

Deinde considerandum est de singulis miraculorum speciebus.

Et primo de miraculis quæ fecit circa spirituales substantias.

Secundo de miraculis quæ fecit circa cælestia corpora.

Tercio de miraculis quæ fecit circa homines.

Quarto de miraculis quæ fecit circa creaturas irracionales.

ARTICULUS I. 238

Utrum miracula facta per Christum circa spirituales substantias fuerint convenientia.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod miracula quæ fecit Christus circa spirituales substantias, non fuerint convenientia. Inter spirituales enim substantias sancti Angeli præpollent demonibus: quia, ut Augustinus dicit in III. de Trinit. (cap. IV. ante med.) spiritus vis rationalis deservit, atque peccator regitur per spiritum vis rationalem, pius, & iustus. Sed Christus non legitur aliqua miracula fecisse circa Angelos bonos. Ergo nec etiam circa demones aliqua miracula facere debuit.

2. Præterea. Miracula Christi ordinabantur ad manifestandam Divinitatem ipsius. Sed Divinitas Christi non erat demonibus manifestanda, quia per hoc impeditum fuisset mysterium passionis ejus, secundum illud I. Cor. 11. 8. Si cognovissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent. Ergo non debuit circa demones aliqua miracula facere.

3. Præterea. Miracula Christi ad gloriam Dei ordinabantur: unde dicitur Matth. 13. 8. quod videntes turbæ paralyticum sanatum a Christo, timebant, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Sed ad demones non pertinet glorificare Deum; quia non est speciosa laus in ore peccatoris, ut dicitur Eccl. xv. 9. unde & sicut dicitur Marci 1. & Lucæ 11. non sinebat demonia loqui ea quæ ad gloriam ipsius pertinebant. Ergo videtur non fuisse convenientes quod circa demones aliqua miracula faceret.

4. Præterea. Miracula a Christo facta ad salutem hominum ordinantur. Sed quædam demonia ab hominibus ejecta fuerunt cum hominum detrimento quandoque quidem corporali, sicut dicitur Marci 13. 25. quod demon ad præceptum Christi exclamavit, & multum disperens hominem, exiit ab eo; & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est; quandoque etiam cum damno rerum, sicut quando demones ad eorum preces misit in porcos, quos præcipitaverunt in mare: unde clyes illius regionis rogaverunt eum ut transferret a finibus eorum, ut legitur Matth. 17. 11. Ergo videtur inconvenienter fecisse hujusmodi miracula.

Sed contra est quod Zach. 11. 2. hoc prænuntiavit fuerat, ubi dicitur: Spiritum immundum auferam de terra. Respondendo dicendum, quod miracula quæ Christus fecit, argumenta quædam fuerunt fidei quam ipse docebat. Futurum autem erat ut per virtutem Divinitatis ejus excluderet demonum potestatem ab hominibus credituris in eum, secundum illud Joan. 11. 31. Nunc princeps hujus mundi ejectionem foras. Et ideo convenienter fuit quod inter alia miracula etiam obfessos à demonibus liberaret.

Ad primum ergo dicendum, quod homines sicut per Christum erant à potestate demonum liberandi, ita per eum erant Angelis consociandi, secundum illud Coloss. 1. 20. Pacificans per sanguinem crucis ejus, quæ in cælis, & quæ in terris sunt. Et ideo circa Angelos alia miracula hominibus demonstrare non conveniebat, nisi ut Angeli hominibus apparerent: quod quidem factum est in nativitate ipsius, & in resurrectione, & ascensione ejus.

Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit IX. de civit. Dei (cap. xxx.) Christus tantum innovavit demonibus, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit: sed innovavit eis, non sicut Angelis sanctis per id quod est vita æterna, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta. Et primo quidem videntes Christum elurire post jejunium, æstimaverunt eum non esse Filium Dei. Unde sup. illud Luc. 11. Si Filius Dei es, &c. dicit Ambrosius, Quia, sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognoverat Dei Filium esse venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putavit? Sed postmodum visis miraculis, ex quadam suspitione conjecturavit, eum esse Filium Dei. Unde super illud Marci 1. Scio quod

quod si sanctus Dei, dicit Chrysostomus (hab. in Catena D. Thomæ & in Lib. Qg. vet. & novi Testam. quæst. lxxv. inter op. Augustini) quod, non certam, aut firmam adventus Dei habebat notitiam; sciebat tamen, ipsum esse Christum in lege promissum. Unde dicitur Luc. 11. 41. Quia sciebat ipsum esse Christum. Quod autem ipsum confitebantur esse Filium Dei, magis erat ex quadam suspitione quam ex certitudine. Unde Beda dicit super Luc. (cap. xiv. secundum ejus ord.) Et demones Filium Dei confitebantur: Et sicut postea dicit (ibid.) sciebat eum esse Christum: quia cum jejunio fatigatum eum diaboli videret, verum hominem intellexit; sed quia tentando non prevaluit, utrum Filius Dei esset, dubitavit. Nunc autem per signorum potentiam vel intellexit, vel potius suspicatus est esse Filium Dei. Non ideo igitur Judæis eum crucifigere persuasit, quia Christum Dei Filium non esse putavit, sed quia se morte illius non prævidit esse damnandum: de hoc enim mysterio à sæculis abscondito dicit Apostolus: Quod nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent.

Ad tertium dicendum, quod miracula in expulsiōne demonum non fecit Christus propter utilitatem demonum, sed propter utilitatem hominum, ut ipsi eum glorificarent. Et ideo prohibuit eos loqui ea quæ ad laudem ipsius pertinebant. Primo quidem propter exemplum: quia, ut dicit Athanasius (implic. in epist. de Synod. Arim. & Seleuc. & Chrysostomus conc. 11. de Laz. à princ.) campefecbat ejus sermonem, quemvis vera fateretur, ut nos etiam assuescimus; ne curesmus de talibus, etiam si vera loqui videantur: nefas est enim ut cum adfuerit nobis Scriptura Divina, instruamur à diabolo: est enim hoc periculosum, quia veritati frequenter demones immiscunt mendacia. Secundo quia, sicut Chrysostomus dicit (hab. in Catena D. Thomæ) non oportebat eos surripere officii Apostolici gloriam; nec decebat Christi mysterium lingua facienda publicari: quia non est speciosa laus in ore peccatorum. Tertio quia, ut Beda dicit (loc. sup. cit. & Theophyl. in hunc loc.) nolebat ex hoc invidiam accendere Judæorum. Unde etiam ipsi Apostoli jubentur recedere de ipso, ne divina majestate prædicata, passionis dispensatio differatur.

Ad quartum dicendum, quod Christus specialiter venerat docere, & miracula facere propter utilitatem hominum principaliter quantum ad animæ salutem: & ideo permisit, demones quos ejectione, hominibus aliquod noxamentum inferre vel in corpore, vel in rebus, propter animæ humanæ salutem, ad hominum scilicet instructionem. Unde Chrysostomus dicit

super Matth. (hom. xxix. circ. med.) quod Christus permisit demonibus in porcos ire, non quia à demonibus persuasus; sed primo quidem ut instruat magnitudinem nocentium demonum, qui hominibus insidiantur; secundo ut omnes dicerent, quoniam nec adversus porcos audeant aliquid facere, nisi ipsi consenserint; tertio ut ostenderet quod graviora in illos homines operati essent quam in illos porcos, nisi essent divina providentia adjuvi. Et propter eandem etiam causam permisit, eum qui à demonibus liberabatur, ad horam gravius affligi; à qua tamen afflictione cum continuo liberavit. Per hoc etiam ostenditur, ut Beda dicit (id hab. Gregor. hom. 11. in Evang. à princ.) quod, sæpe, dum converti ad Deum post peccata conamur, majoribus, novissimè, que antiqui hostis pulsamur insidiis: quod, facit, vel ut odium virtutis incutiat, vel expulsiōnis suæ vindictæ injuriam. Factus est etiam homo sanatus vel mortuus, ut Hieronymus dicit (in hunc loc. Marci) quia sanatus dicitur Coloss. 1. 11. 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

ARTICULUS II. 239

Utrum convenienter facta fuerint miracula per Christum circa cælestia corpora.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter fuerint à Christo facta miracula circa cælestia corpora. Ut enim Dionysius dicit IV. cap. de div. Nom. (part. 11. lect. 23.) divina providentia non est naturam corrumpere, sed salvare. Corpora autem cælestia secundum suam naturam sunt incorruptibilia, & inalterabilia, ut probatur in I. de cælo (text. 20. & seq.) Ergo non fuit convenienter ut per Christum fieret aliqua immutatio circa ordinem cælestium corporum.

2. Præterea. Secundum motum cælestium corporum temporum cursus designantur, secundum illud Genes. 1. 14. Fiant luminaria in firmamento cæli, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Sic ergo mutato cursu cælestium corporum, mutatur temporum distinctio, & ordo. Sed non legitur hoc esse perceptum ab Astrologis, qui contemplantur sidera, & computant menses, ut dicitur Itai. xlvi. 13. Ergo videtur quod per Christum non fuerit aliqua mutatio facta circa cursum cælestium corporum.

3. Præterea. Magis competebat Christo ut faceret miracula vivens, & docens, quam moriens: tum quia, ut dicitur II. ad Corinth. ult. 4. crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei, secundum quam miracula faciebat: tum etiam quia ejus miracula confirmativa erant doctrinæ ipsius. Sed in

aut, nec ipsi Christo scribenti credidissent, de quo opinabantur quod magicis artibus fecisset miracula.

QUÆSTIO XLIII

De miraculis à Christo factis in generali, in quatuor articulos divisa.

Einde considerandum est de miraculis à Christo factis: & primo in generali; secundo in speciali de singulis miraculorum generibus; tertio in particulari de transfiguratione ipsius.

Circa primum queruntur quatuor. Primo, utrum Christus debuerit miracula facere.

Secundo, utrum fecerit ea virtute divina. Tertio, quo tempore incepit miracula facere.

Quarto, utrum per miracula fuerit sufficienter ostensa ejus Divinitas.

ARTICULUS I. 234

Utrum Christus debuerit facere miracula.

Opusc. II. cap. VII. & opusc. III. cap. CXXXV. & opusc. XI. cap. XVII. & opusc. IX. cap. LXV. princ.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus miracula facere non debuerit. Factum enim Christi verbo ipse debuit concordare. Sed ipse dicit. Matth. xlii. 39. Generatio mala, & adultera signum querit; & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Non ergo debuit miracula facere.

Præterea. Sicut Christus in secundo adventu venturus est in virtute (a) magna, & majestate, ut dicitur Matth. xxiv. 30. ita in primo adventu venit in infirmitate, secundum illud Isai. lii. 3. Virum dolorum, & scientem infirmitatem. Sed operatio miraculorum magis pertinet ad virtutem quam ad infirmitatem. Ergo non fuit conveniens, quod in primo adventu miracula faceret.

Præterea. Christus venit ad hoc ut homines salvaret per fidem, secundum illud Hebr. xii. 2. Aspicentes in auctorem fidei, & consummátorem Jesum. Sed miracula diminuant meritum fidei: unde Dominus Joan. iv. 48 dicit. Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Ergo non videtur quod Christus debuerit miracula facere.

(a) Vulgata multa. (b) Vulgata ut periclam ea? ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. (c) Vulgata: Lingua in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.

Sed contra est quod ex persona adversariorum Dei dicitur Joann. xi. 72. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.

Respondeo dicendum, quod divinitus conceditur homini miracula facere, propter duo. Primo quidem, & principaliter ad confirmandam veritatem quam aliquis docet: quia enim ea quæ sunt fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet quod probentur per argumentum divinæ virtutis; ut dum aliquis facit opera quæ solus Deus facere potest, credantur ea quæ dicuntur, esse à Deo; sicut cum aliquis deserit litteras annulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse quod in illis continetur. Secundo ad offendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti; ut dum scilicet homo facit opera Dei, creditur Deus habitare in eo per gratiam: unde dicitur Galat. iii. 5. Qui tribuit vobis Spiritum Sanctum, operatur virtutes in vobis. Utrumque autem circa Christum erat hominibus manifestandum, scilicet quod Deus esset in eo per gratiam, non adoptionis, sed unionis, & quod ejus supernaturalis doctrina esset à Deo. Et ideo convenientissimum fuit ut miracula faceret: unde ipse dicit Joann. x. 38. Si mihi non vultis credere, operibus credite: & Joan. v. 36. Opera quæ dedit mihi Pater (b) ut faciam, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod dicit: Signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ, intelligendum est, ut Chrysostronus dicit (hom. xlii. in Matth. à princ.) quod tunc non acceperunt tale signum, quale petebant, scilicet de celo, non quod nullum signum eis dederit; vel quia signa faciebat, non propter eos quos sciebat lapideos esse, sed ut alios emendaret: & ideo non eis, sed aliis illa signa dabuntur.

Ad secundum dicendum, quod licet Christus venerit in infirmitate carnis, quod manifestatur per passiones: venit tamen in virtute Dei, quod erat manifestandum per miracula.

Ad tertium dicendum, quod miracula instantium diminuant meritum fidei, inquantum per hoc offenditur duritia eorum qui nolunt credere ea quæ Scripturis divinis probantur, nisi per miracula. Et tamen melius est eis ut vel per miracula convertantur ad fidem, quam quod omnino in infidelitate permanent: dicitur enim I. ad Corinth. xiv. 22. quod (c) signa data sunt infidelibus, ut scilicet convertantur ad fidem.

Ad quartum dicendum, quod Christus venit ad hoc ut homines salvaret per fidem, secundum illud Hebr. xii. 2. Aspicentes in auctorem fidei, & consummátorem Jesum. Sed miracula diminuant meritum fidei: unde Dominus Joan. iv. 48 dicit. Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Ergo non videtur quod Christus debuerit miracula facere.

Præterea. Christus venit ad hoc ut homines salvaret per fidem, secundum illud Hebr. xii. 2. Aspicentes in auctorem fidei, & consummátorem Jesum. Sed miracula diminuant meritum fidei: unde Dominus Joan. iv. 48 dicit. Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Ergo non videtur quod Christus debuerit miracula facere.

ARTICULUS II. 135

Utrum Christus fecerit miracula divina virtute.

III. dist. xv. quest. 1. art. 3. corp. & dist. xvi. quest. 1. art. 3. corp. & ad 4. & IV. dist. v. quest. 1. art. 1. & opusc. xi. cap. xvii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non fecerit miracula divina virtute. Virtus enim divina est omnipotens. Sed videtur quod Christus non fuerit omnipotens in miraculis faciendis: dicitur enim Marci vi. 5. quod non poterat ibi, scilicet in patria sua, virtutem ullam facere. Ergo videtur quod non fecerit miracula virtute divina.

Præterea. Dei non est orare. Sed Christus aliquando in miraculis faciendis orabat, ut patet in suscitacione Lazari, Joann. xi. & in multiplicatione panum, ut patet Matth. xiv. Ergo videtur quod non fecerit miracula virtute divina.

Præterea. Ea quæ virtute divina sunt, non possunt virtute alicujus creaturæ fieri. Sed ea quæ Christus faciebat, poterant etiam in virtute alicujus creaturæ: unde & Pharisæi ei dicebant, quod in Beelzebub principe demoniorum eiciebat demonia. Lucæ xi. 15. Ergo videtur quod Christus non fecerit miracula virtute divina.

Sed contra est quod Dominus dicit Joann. xiv. 10. Pater in me manens ipse facit opera.

Respondeo dicendum, quod, sicut in prima parte habitum est (quest. cx. art. 4.) vera miracula sola virtute divina fieri possunt: quia solus Deus potest mutare naturæ ordinem; quod pertinet ad rationem miraculi. Unde Leo Papa dicit in epist. ad Flavianum (xxviii. cap. iv. ante medi.) quod in Christo sunt duæ naturæ: una, scilicet divina, quæ fulget miraculis; altera, scilicet humana, quæ succumbit injuriis.

Et tamen una carum agit: cum communicatione alterius, inquantum scilicet humana natura est instrumentum divinæ actionis, & actio humana virtutem accipit à natura divina, sicut supra habitum est (quest. xlii. art. 3.)

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod dicitur: Non poterat ibi ullam virtutem facere, non est referendum ad potentiam absolutam, sed ad id quod potest fieri congruenter. Non enim congruum erat ut inter credulos operaretur miracula: unde subditur. Et mirabatur propter incredulitatem eorum. Secundo quem modum dicitur Genes. xviii. 17. Num celare poteram Abraham quæ gesturus sum? & xv. 22. Non poteram facere quicquam, donec ingrediaris illuc,

Ad secundum dicendum, quod, sicut Chrysostronus dicit super illud Matth. xiv. Accipitis quinque panibus, & duobus piscibus, aspicians in caelum benedixit, & fregit, (hom. l. parum à princ.) oportebat credi de Christo, quoniam à Patre est, & quod ei æqualis est. Et ideo ut utrumque ostendat: nunc quidem cum potestate, nunc autem orans miracula facit: & in minoribus quidem respicit in caelum, puta in multiplicatione panum; in majoribus autem quæ sunt solius Dei, cum potestate à se ipso agit; puta quando peccata dimisit, mortuos suscitavit. Quod autem dicitur Joann. xi. quod in suscitacione Lazari oculos sursum levavit, non propter necessitatem suffragii, sed propter exemplum hoc fecit: unde dicit: Propter populum, qui circumstant, dixi, ut credant quia tu me misisti.

Ad tertium dicendum, quod Christus alio modo expellebat demones quam virtute demonum expellantur. Nam virtute superiorum demonum ita demones à corporibus hominum expelluntur, quod tamen remanet dominium eorum quantum ad animam; non enim contra regnum suum diabolus agit. Sed Christus demones expellebat non solum à corpore, sed multo magis ab anima. Et ideo Dominus blasphemiam Pharisæorum dicens eum in virtute demoniorum demonia eiecere, reprobativè primo quidem per hoc quod Satanæ contra seipsum non dividitur; secundo exemplo aliorum, qui demonia eiciebant per spiritum Dei; tertio quia demonium expellere non potest, nisi ipsum vicisset virtute divina; quarto quia nulla convenientia in operibus, nec in effectu erat sibi, & Satanæ; cum Satanæ dispergere cuperet quos Christus colligebat.

ARTICULUS III. 236

Utrum Christus incepit facere miracula in quatuordecim annis.

III. dist. xlv. in expositione lit. & opusc. xi. cap. xviii. & Joan. I. lect. 21. fin. & cap. xxv. lect. 3. fin.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus non incepit miracula facere in nuptiis, mutando aquam in vinum. Legitur enim in lib. de infancia Salvatoris, quod Christus in sua pueritia multa miracula fecit. Sed miraculum de conversione aque in vinum fecit in nuptiis trigemum, vel trigessimum anno suæ ætatis. Ergo videtur quod non incepit tunc miracula facere.

Præterea. Christus faciebat miracula secundum virtutem divinam. Sed virtus divina in eo à principio suæ conceptionis erat: ex tunc enim fuit Deus, & homo. Ergo videtur quod à principio miracula fecerit.

Præterea. Quæ se invicem non consequuntur, non oporteret quod simul tollantur. Sed ægritudo corporalis non semper ex peccato causatur, ut patet per illud quod Dominus dixit Joan. ix. 3. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut equus nasceretur.* Non ergo oportuit ut hominibus corporum curationem quarentibus peccata dimitteret, sicut legitur secundo circa paralyticum Matth. ix. præterea quia sanatio corporalis, cum sit minus quam remissio peccatorum, non videtur esse sufficientis argumentum quod possit peccata dimittere.

4. Præterea, Miracula Christi facta sunt ad confirmationem doctrinæ ipsius, & testimonium Divinitatis ejus, ut supra dictum est (quæst. præc. art. 4.) Sed nullus debet impedire finem operis sui. Ergo videtur inconvenienter Christus quibusdam miraculose curatis præcepisse ut nemini dicerent, ut patet Matth. ix. & Mar. vii. præterea quia quibusdam aliis mandavit ut miracula circa se facta publicarent; sicut Mar. v. 19. legitur, quod dixit ei quem à demonibus liberaverat. *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia eis quanta tibi Dominus fecerit.*

Sed contra est quod dicitur Marci vii. 37. *Bene omnia fecit, & mirabilia audire, & mirabilia loqui.* Respondendo dicendum, quod ea quæ sunt ad finem, debent fini esse proportionata. Christus autem ad hoc in mundum venerat, & debebat, ut homines salvos faceret; secundum illud Joan. iii. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et ideo conveniens fuit, ut Christus particulariter homines miraculose curando, ostenderet se esse universalem, & spirituales hominum salvatorem.

Ad primum ergo dicendum, quod ea quæ sunt ad finem, distinguuntur ab ipso fine. Miracula autem à Christo facta ordinabantur, sicut ad finem, ad rationalis partis salutem, quæ consistit in sapientie illustratione, & hominum justificatione, quorum primum præsupponit secundum: quia, ut dicitur Sap. iv. 4. *in miraculorum animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subditio peccatis.* Justitiam autem homines non conveniebant nisi eis volentibus: hoc enim esset de contra rationem justitiae, quæ rectitudinem voluntatis importat; & etiam contra rationem humanæ naturæ, quæ libero arbitrio ad bonum ducenda est, non autem per coactionem. Christus ergo virtute divina interiori homines justificavit, non tamen eis invitis: nec hoc ad miracula pertinet, sed ad miraculorum finem. Et similiter etiam virtute divina sapientibus discipulis divinam sapientiam infundit: unde dicit eis Lucæ

xxi. 15. *Ego dabo vobis os, & sapientiam, quæ non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri:* quod quidem, quantum ad interioriorem illuminationem, inter visibilia miracula non numeratur, sed solum quantum ad exterioriorem actum, in quantum scilicet videbatur homines, eos qui fuerant illiterati, & simplices, tam sapientes, & constanter loqui. Unde dicitur Act. iv. 13. *Videtur Judæi Petri constantiam, & Joannis, comperto quod homines essent sine literis, & illos admirabantur.* Et tamen hujusmodi spirituales effectus, etsi à miraculis visibilibus distinguuntur, sunt tamen quædam testimonia doctrinæ, & virtutis Christi; secundum illud Heb. ii. 4. *Constante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus.* Sed tamen circa animas hominum, maxime quantum ad immutandas inferiores vires, Christus aliqua miracula fecit. Unde Hieronymus super illud Matth. ix. *Surgens secutus est eum;* (seu supra illud, *Cum transiret, vidit hominem, &c.*) dicit: *Fulgor ipse, & majestas Divinitatis, occultæ, quæ etiam in facie relegebat hominum; mana, videntes ad se trahere poterat ex primo aspectu.* Et super illud Matth. xxi. *Ejecit omnes vendentes, & ementes, &c.* (seu supra illud: *Principes sacerdotum, &c.*) dicit idem Hieronymus, *Mihi inter omnia signa, quæ fecit Dominus, hoc videtur esse mirabile, quod unus homo, & illo tempore, contemptibilis, potuerit ad unum flagellari, verbera tantam eicere multitudinem: ignem enim quiddam, atque fydereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majestas lucebat in facie ejus.* Et Origenes dicit super Joan. (tomo 2. secundum ejus ordinem, ante med.) hoc esse majus miraculum eo quo aqua conversa est in vinum: eo quod *illuc inanimata subsistit materia; hic vero tot millium hominum dominatur ingenia.* Et super illud Joan. xvii. *Abierunt verrosus, & ceciderunt in terram,* dicit Augustinus (tract. cxiii. in Joan. ante med.), *Una vox tantam turbam odissimè rocem, armisque terribilem sine relo ullo, percussit, repulit, stravit: Deus enim latebat in carne.* Et ad idem pertinet quod dicitur Lucæ iv. 30. *quod Jesus transiens per medium illorum ibat:* ubi dicit Chrysostromus (hom. xlvi. in Joan. parum à princ.) quod *stare in medio insidiantium, & non apprehendi, divinitatis eminentiam ostendebat.* & quod dicitur Joan. vii. 59. *Jesus abscondit se, & exiit de templo:* ubi Theophylactus dicit: *Non abscondit se in angulo templi quasi timens, vel post murum, aut columnam, divertens; sed divina potestate se invisibilibus, hominibus insidiantibus constituit, per medium illorum exivit.* Ex quibus omnibus patet quod Christus, quando voluit, virtute divi-

divina animas hominum immutavit, non solum justificando, & sapientiam infundendo (quod pertinet ad miraculorum finem) sed etiam exteriori alliciendo, vel terrendo, vel stupefaciendo: quod pertinet ad ipsa miracula.

Ad secundum dicendum, quod Christus venerat salvere mundum non solum virtute divina, sed per Mysterium Incarnationis ipsius. Et ideo frequenter in sanatione infirmorum non sola potestate divina utebatur, curando per modum imperii, sed etiam aliquid ad humanitatem ipsius pertinens apponendo. Unde super illud Lucæ iv. *Singulis manus imponens curabat omnes,* dicit Cyrillus Lib. iv. in Joan. sup. illud Joan. vi. *Nisi manducaveritis carnem, &c.* & (hab. in Cat. D. Thom. sup. Luc.) *Quamvis ut Deus potuisset omnes verbo pelere morbos, tangit tamen omnes, ostendens propriam carnem efficacem ad præstantiam, da remedia.* Et super illud Marci vii. *Exprensit in oculos ejus, imposuit manibus, &c.* dicit Chrysostromus (id hab. Victor Antiochenus in hunc loc.) *Spuis quidem, & manus imponit cæco, volens ostendere quod verbum divinum operationi adjunctum miracula perficit: manus enim operationis est, ostensiva, sputum sermonis ex ore prolatis.* Et super illud Joannis ix. *Fecit lutum ex spuro, & unxit lutum super oculos cæci,* dicit Augustinus (tract. xlv. in Joan. parum à princ.) *De saliva sua lutum fecit, quia Verbum caro factum est.* Vel etiam ad significandum quod ipse erat, qui ex limo terræ hominem formaverat, ut Chrysostromus dicit (hom. lv. in Joan. ante med.)

Est autem circa miracula Christi considerandum, quod communiter perfectissima opera facebat. Unde super illud Joan. ii. *Omnis bonum primum bonum vinum ponit,* dicit Chrysostromus (hom. xxi. in Joan. à med.) *Talia sunt Christi miracula, ut multo his quæ per naturam sunt, speciosiora, & utiliora fiant.* Et similiter in instanti infirmis perfectam sanitatem conferebat: unde super illud Matth. vii. *Et surrexit, & ministrabat illi,* dicit Hieronymus (seu sup. illud: *Cum venisset Jesus.*) *Sanitas quæ confertur à Domino, tota simul redit.* Specialiter autem in illo cæco contrarium fuit propter infidelitatem ipsius, ut Chrysostromus dicit. (innuitur hom. ix. in Matth. parum à princ.) Vel, sicut Beda dicit (cap. xxxiv. in Marc.) *quem uno verbo totum simul curare poterat, paulatim cum alia bruti miracula facere debuisset, ratum ut magnitudinem humanæ cæcitatibus ostendat, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redeat, & gratiam suam nobis indicet, per quam singula perfectionis incrementa adjuvat.*

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra

dictum est (quæst. præc. art. 2.) Christus miracula facebat virtute divina. Dei autem perfecta sunt opera, ut dicitur Deuter. xxxi. 4. *Non est autem aliquid perfectum, si finem non consequatur.* Finis autem exterioris curationis per Christum factæ, est curatio animæ. Et ideo non conveniebat Christo ut alicujus corpus curaret, nisi ejus curaret animam. Unde super illud Joan. vii. *Totum hominem sanum fecit in sabbato,* dicit Augustinus (tract. xxx. in Joan. à med.) quod, curatus est, ut sanus esset in corpore; & credidit, ut sanus esset in anima. Specialiter autem paralytico dicitur: *Dimittentur tibi peccata,* quia, ut Hieronymus dicit super Matth. (sup. illud cap. ix. *Quid est facilius dicere?*) *datur est, hoc nobis intelligentia, propter peccata plenè, risque evenire corporum debilitates: & ideo, forsitan prius dimittentur peccata, ut cautè, sis debilitatis ablati, sanitas restitatur.* Unde & Joan. v. 14. dicitur: *Jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* ubi dicit Chrysostromus (hom. xxxvii. in Joan. parum à princ.) *Discimus quod ex peccatis nata erat ei ægritudo.* Quamvis autem, ut Chrysostromus dicit super Matth. (hom. xxx. à med.) *quanto anima est potior corpore, tanto peccatum dimittere majus sit, quam corpus sanare; quia tamen illud non est manifestum, facit minus, quod est manifestum, ut demonstraret majus, & non manifestum.*

Ad quartum dicendum, quod super illud Matth. ix. *Videte, ne quis sciat,* dicit Chrysostromus (hom. xiii. in Matth. aliquant. à princ.) *Non est hoc contrarium quod hic dicitur, ei quod alteri dicit Vade, & annuntia gloriam Dei: erudit enim nos prohibere eos qui volunt nos propter nos laudare; si autem ad Deum gloria referatur, non debemus prohibere, sed magis injungere ut hoc fiat.*

ARTICULUS IV. 241

Utrum convenienter Christus fecerit miracula circa creaturas irracionales.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter fecerit Christus miracula circa creaturas irracionales. Bruta enim animalia sunt nobiliora plantis. Sed Christus fecit aliquod miraculum circa plantas, puta cum ad verbum ejus esset seccata ficulnea, ut dicitur Matth. xxi. Ergo videtur quod etiam circa animalia bruta miracula facere debuisset.

2. Præterea. Pœna non juste inferitur nisi pro culpa. Sed non fuit culpa ficulneæ quod in ea Christus fructuum non invenit, quando non erat tempus fructuum. Ergo videtur quod inconvenienter eam seccaverit.

cit Glossa (interl.) idest, glorificationem corporis in imaginaria representatione futuræ beatitudinis. Sed imago alicujus rei non est ipsa res. Ergo claritas illa non fuit claritas beatitudinis.

3. Præterea. Claritas gloriæ non est nisi in corpore humano. Sed claritas illa transfigurationis apparuit non solum in corpore Christi, sed etiam in vestimentis ejus, & in nube lucida, quæ discipulos obumbravit. Ergo videtur quod illa claritas non fuerit claritas gloriæ.

Sed contra est quod super illud Matth. xvii. *Transfiguratus est ante eos*, dicit Hieronymus. „Qualis futurus est tempore iudicii, talis Apostolus apparuit.“ Et super illud Matth. xvi. *Donec videant filium hominis venientem in regno suo*, dicit Chrysostomus (hom. lvi. in Matth. circ. princ.). „Volens monstrare quid est illa gloria in qua postea venturus est, eis in præsentia vita revelavit, si cur possibile erat eos discedere, ut neque in Domini morte jam dolerent.“

Respondeo dicendum: quod claritas illa, quam Christus in transfiguratione assumpsit, fuit claritas gloriæ quantum ad essentiam, non tamen quantum ad modum essendi. Claritas enim corporis gloriosi derivatur ab animæ claritate, sicut Augustinus dicit in epist. ad Dioscorum (cxviii. al. lvi. ante med.) Et similiter claritas corporis Christi in transfiguratione derivata est & à Divinitate ipsius, ut Damascenus dicit, (potest colligi ex ejus Lib. sentent. in cap. de *Transfigur. Christi*,) & à gloria animæ ejus. Quod enim à principio conceptionis Christi gloria animæ non redundaret ad corpus, ex quadam dispensatione divina factum est, ut in corpore passibili nostræ redemptionis expleret mysteria, sicut supra dictum est (quæst. xiv. art. 1. ad 2.) Non tamen per hoc adepta est Christo potestas derivandi gloriæ animæ ad corpus. Et hoc quidem fecit quantum ad gloriæ claritatem in transfiguratione; aliter tamen, quam in corpore glorificato: Nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, sicut qualitas quedam permanens, corpus efficiens; unde fulgere corporaliter, non est miraculosum in corpore glorioso: sed ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas à Divinitate, & anima ejus, non per modum qualitatis immanentis, & efficientis ipsius corpus, sed magis per modum passionis transeuntis, sicut cum aer illuminatur à Sole: unde ille fulgor tunc in corpore Christi apparet miraculosus fuit, sicut & hoc ipsum quod ambulavit super undas maris. Unde Dionysius dicit in epistola iv. ad Cajum (circ. med.) *Super omnem operabatur Christus ea quæ sunt hominibus: & hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipi-*

ens, & aqua instabilis materialium, & terrenorum pedum sustinens gravitatem. Unde non est dicendum, sicut Hugo de S. Victore (id hab. Innocent. III. Lib. iv. de myster. Missæ cap. xxi. ad fin.) dicit, quod Christus assumpsit quatuor dotes: claritatis in transfiguratione, agilitatis, ambulando super mare, sublimitatis, egrediendo de claufo utero Virginis, & impassibilitatis in cena, quando dedit corpus suum ad edendum, hinc hoc quod divideretur: quia dos nominat quandam qualitatem immanentem corpori glorioso: sed miraculose habuit ea, quæ pertinent ad dotes. Et est simile quantum ad animam de visione, qua Paulus vidit Deum in raptu, ut in secunda parte dictum est (2. 2. quæst. clxxv. art. 3. ad 2.)

Ad primum ergo dicendum, quod ex illo verbo non ostenditur, quod claritas Christi non fuerit claritas gloriæ, sed quod non fuerit claritas corporis gloriosi, quia corpus Christi nondum erat immortale: sicut enim dispensative factum est ut in Christo gloria animæ non redundaret ad corpus; ita fieri potuit dispensative, ut redundaret quantum ad dotem claritatis, & non quantum ad dotem impassibilitatis.

Ad secundum dicendum, quod illa claritas dicitur imaginaria fuisse, non quia esset vera claritas gloriæ, sed quia erat quedam imago representans illam gloriæ perfectionem, secundum quam corpus erit gloriosum.

Ad tertium dicendum, quod sicut claritas quæ erat in corpore Christi, representabat futuram claritatem corporis ejus; ita claritas vestimentorum ejus designabat futuram claritatem Sanctorum, quæ superabitur à claritate Christi, sicut candor nivis superatur à splendore Solis. Unde Gregorius dicit XXXII. Moral. (cap. xiii. à princ.) quod *vestimenta Christi facta sunt splendentia, quia in superne claritatis culmine Sancti omnes ei luce justitiæ fulgentes adhibebunt.* Vestitum enim nomine iustos, quos sibi adjungit, significat, secundum illud Isaia XLIX. 18. *His omnibus velut ornamentum vestieris.* Nubes autem lucida significat Spiritus Sancti gloriæ, vel virtutem paternam, ut Origenes dicit (hom. lvi. in Matth. inter med. & fin.) per quam Sancti in futura gloria progredientur. Quamvis etiam convenienter significare possit claritatem mundi innovati, quæ erit Sanctorum tabernaculum: unde, Petro dilponente tabernacula facere, nubes lucida discipulos obumbravit.

ARTICULUS III.

Utrum testes transfigurationis convenienter fuerint inducti.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non convenienter inducti fuerint testes transfigurationis. Unusquisque enim maxime potest perhibere testimonium de notis. Sed qualis esset futura gloria tempore transfigurationis Christi, nulli homini per experimentum erat adhuc notum, sed solum Angelis. Ergo testes transfigurationis magis debuerunt esse Angeli, quam homines.

2. Præterea. Testes veritatis non deceat aliqua fictio, sed veritas. Moyses autem, & Elias non ibi vere affuerunt, sed imaginariè: dicit enim quedam Glossa (colligitur ex Lib. III. de mirabilibus S. Scripturæ cap. ix. & x. inter op. Aug.) super illud Luc. ix. *Erant autem Moyses, & Elias &c.* „Sciendum est (inquit) non corpora, vel animas Moysei, & Eliæ ibi apparuisse, sed in subiecta creatura illa corpora fuisse formata. Potest etiam credi, angelico ministerio hoc factum esse, ut Angeli eorum personas assumerent.“ Non ergo videtur quod fuerint convenientes testes.

3. Præterea. Act. x. 43. dicitur, quod Christus omnes Prophetas testimonium perhibent. Ergo non solum Moyses, & Elias debuerunt adesse tanquam testes, sed etiam omnes Prophetæ.

4. Præterea. Gloria Christi omnibus Christi fidelibus repositum, quos per suam transfigurationem ad illius gloriæ desiderium accendere voluit. Non ergo solos Petrum, & Jacobum, & Joannem in testimonium suæ transfigurationis assumere debuit, sed omnes discipulos.

In contrarium est Evangelicæ Scripturæ auctoritas. (Matth. xvii. & Marci ix. & Lucæ ix.)

Respondeo dicendum, quod Christus transfigurari voluit, ut gloriæ suam hominibus ostenderet, & ad eam desiderandam homines provocaret, sicut supra dictum est (art. 1. huj. quæst.) Ad gloriæ autem æternæ beatitudinis adducunt homines per Christum, non solum qui post eum fuerunt, sed etiam qui eum præcesserunt. Unde, eo ad passionem properante, tam turbæ quæ sequebantur, quam quæ præcedebant, ei clamabant *Hosanna*, ut dicitur Matth. xxi. quasi salutem ab eo petentes. Et ideo conveniens fuit ut de precedentibus ipsum testes adessent, scilicet Moyses, & Elias; & de sequentibus ipsum, scilicet Petrus, & Jacobus, & Joannes, ut in ore duorum, vel trium testimonium staret hoc verbum.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus, sicut supra dicitur, non solum per suam transfigurationem manifestavit discipulis corporis gloriæ, quæ ad solos homines pertinet. Et ideo convenienter non Angeli, sed homines ad hoc pro testibus inducuntur.

Ad secundum dicendum, quod Glossa illa dicitur esse sumpta ex Libro qui intulatur de mirabilibus Sacre Scripturæ, qui non est liber authenticus, sed falso ascribitur Augustino. Et ideo illi Glossæ non est standum. Dicit enim expresse Hieronymus super Matth. (in illud cap. xvii. *Et apparuerunt illis Moyses, &c.*) „Considerandum est, quod Scribis, & Phariseis de celo signa poscentibus, dare noluit; hic verò, ut Apostolorum augetur fides, dat signum de celo, Eliæ autem descendens, te, quo concenderat, & Moyse ab inferis, resurgente.“ Quod non est sic intelligendum, quasi anima Moysei fuit corpus resumpserit; sed quod anima ejus apparuit per aliquod corpus assumptum, sicut Angeli apparent. Elias autem apparuit in proprio corpore, non quidem de celo empyreo allato, sed de aliquo eminenti loco, quo fuerat in curru igneo raptus.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Chrysostomus dicit super Matth. (hom. lvi. parum à princ.) Moyses, & Elias in medium adducuntur propter multas rationes. Prima est hæc: *quia enim turbe dicebant, eum esse Eliam, vel Hieroniam, aut unum ex Prophetis, capite Prophetarum secum ducit, ut saltem hinc appareat differentia servorum, & Domini.* Secunda ratio est, quia *Moyse legem dedit, Eliam pro gloria Domini emulatores fuit: unde per hoc quod simul cum Christo apparuit, excluditur calumniam Judæorum accusantium Christum, tanquam transgressorem legis, & blasphemum, Dei sibi gloriæ usurpantem.* Tertia ratio est, *ut ostendat se habere potestatem mortis, & vite, & esse judicem mortuorum, & vivorum, per hoc quod Moysen jam mortuum, & Eliam adhuc viventem secum ducit: Quarta ratio est, quia, sicut Lucas dicit, loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Hierosalem, idest de passione, & morte sua.* Et ideo ut super hoc discipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium, qui se mortui exposuerunt pro Deo: nam *Moyse cum periculo mortis se obtulit Pharaoni, Eliam vero Regi Achab.* Quinta ratio est, quia volebat ut discipuli sui emularentur Moyse mansuetudinem, & zelum Eliæ. Sextam rationem addit Hyllarius (cap. xvii. in Matth. à princ.) *ut ostenderet scilicet se per legem, quam dedit Moyses, & per prophetas, inter quos fuit Elias percipere esse predicatum.*

Ad quartum dicendum, quod alia mysteria non sunt omnibus exponenda immediate, sed per majores suo tempore ad alios debent devenire. Et ideo, ut Chrysostomus dicit (loco supra citato) *assumpsit tres, tanquam potest.*

videtur. Nam Petrus excellens fuit in dilectione, quam habuit ad Christum, & iterum in potestate sibi commissa; Joannes vero in privilegio amoris, quo à Christo diligebatur propter suam virginitatem, & iterum propter prerogativam evangelicæ doctrinæ; Jacobus autem propter prerogativam martyrii. Et tamen hos ipsos noluit hoc quod viderant, aliis annuntiare ante resurrectionem, ne, ut Hieronymus dicit (sup. illud Matth. xvii. *Nemini dixeritis Scc.*) & incredibile esset pro rei magnitudine, & post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret: Vel etiam ne retaliter impediretur à populo. (hoc habet Remig. in Cat. D. Th.) & ut cum essent Spiritu Sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes essent. (Hoc habet Hilari. loc sup. cit.)

ARTICULUS IV. 245

Utrum convenienter auditum fuerit testimonium paternæ vocis in transfiguratione.

In Cat. aur. Matth. xvii. lect. 2. Marc. ix. lect. 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter auditum fuerit testimonium paternæ vocis (Matth. xvii. 5.) dicens: *Hic est filius meus dilectus*. Quia, ut dicitur Job xxxiii. *semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit*. Sed in baptismo hoc ipsa paterna vox fuerat protestata. Non ergo fuit convenienter quod hoc iterum protestaretur in transfiguratione.

2. Præterea. In baptismo simul cum voce paterna affuit Spiritus Sanctus in specie columbæ: quod in transfiguratione factum non fuit. Non ergo convenienter videtur fuisse Patris protestatio.

3. Præterea. Christus docere incepit post baptismum; & tamen in baptismo vox Patris ad eum audiendum homines non induxerat. Ergo nec in transfiguratione inducere debuit.

4. Præterea. Non debent aliquibus dici ea quæ ferre non possunt, secundum illud Joan. xvi. 12. *Alibus habeo vobis multa dicere, quæ non potestis portare modo*. Sed discipuli vocem Patris ferre non poterant: dicitur enim Matth. xvii. 6. quod *audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde*. Ergo non debuit vox paterna ad eos fieri.

In contrarium est auctoritas evangelicæ Scripturæ (Matth. xvii. & Matc. ix.)

Respondeo dicendum, quod adoptio filiorum Dei est per quandam conformitatem imaginis ad filium Dei naturalem. Quod quidem fit dupliciter: primo quidem fit per gratiam viæ, quæ est conformitas imperfecta; se-

cundo per gloriam patriæ, quæ erit conformitas perfecta, secundum illud I. Joan. 1.11. 2. *Nunc filii Dei sumus, & nonnumquam apparet quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam vidimus eum sicuti est*. Quia igitur gratiam per baptismum consequimur, in transfiguratione autem præmonstrata est claritas futuræ gloriæ, ideo tam in baptismo, quam in transfiguratione conveniens fuerit manifestari naturalem Christi filiationem testimonio Patris; quia solus est perfectæ consocius illius perfectæ generationis simul cum Filio, & Spiritu Sancto.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum referendum est ad æternam Dei locutionem, qua Deus Pater Verbum unicum protulit, sibi coeternum. Et tamen potest dici, quod licet idem corporali voce Deus protulerit, non tamen propter idem, sed ad ostendendum diversum modum quo homines participare possunt similitudinem filiationis æternæ.

Ad secundum dicendum, quod sicut in baptismo, ubi declaratum fuit mysterium primæ regenerationis, ostensa est operatio totius Trinitatis per hoc quod fuit ibi Filius incarnatus; apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ, & Pater fuit ibi declaratus in voce; ita etiam in transfiguratione, quæ est sacramentum secundæ regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube clara: quia sicut in baptismo dat innocentiam, quæ per simplicitatem columbæ designatur; ita in resurrectione dabit electis suis claritatem gloriæ, & refrigerium ab omni malo, quæ designantur in nube lucida.

Ad tertium dicendum, quod Christus venerat gratiam actualiter dare, gloriam vero promittere verbo. Et ideo convenienter in transfiguratione inducuntur homines ut ipsum audiant, non autem in baptismo.

Ad quartum dicendum, quod convenienter fuit discipulos voce paterna terreri, & profertur, ut ostenderetur quod excellentia illius gloriæ quæ tunc demonstrabatur, excedit omnem sensum, & facultatem mortalium, secundum illud Exodi xxxiii. 20. *Non videbit me homo, & vivet*. Et hoc est quod Hieronymus dicit super Matth. (sup. illud cap. xvii. *Audientes discipuli ceciderunt &c.*) quod *humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet*. Ab hac autem fragilitate sanantur homines per Christum, eos in gloriam adducendos quod significatur per hoc quod dixit eis: *Surgite, nolite timere*.

QUÆSTIO XLVI.

De passione Christi,

in duodecim articulis divisa.

Consequenter considerandum est de his quæ pertinent ad exitum Christi de mundo, & primo de passione ejus; secundo de morte; tertio de sepultura; quarto de descensu ad inferos.

Circa passionem occurrit triplex consideratio. Prima de ipsa passione; secunda de causa efficiente passionis; tertia de fructu passionis.

Circa primum quaruntur duodecim.

Primo, utrum necesse fuerit Christum pati pro liberatione hominum.

Secundo, utrum fuerit alius modus possibilis liberationis humanæ.

Tertio, utrum ille modus fuerit convenientior.

Quarto, utrum fuerit convenientis quod in cruce pateret.

Quinto, de generalitate passionis ejus.

Sexto, utrum dolor quem in passione sustinuit, fuerit maximus.

Septimo, utrum tota anima ejus pateret.

Octavo, utrum passio ejus impediret gaudium fructuosis.

Nono, de tempore passionis.

Decimo, de loco.

Undecimo, utrum convenienter fuerit ipsum cum latronibus crucifigi.

Duodecimo, utrum passio ipsius Christi sit divinitati attribuenda.

ARTICULUS I.

Utrum fuerit necessarium Christum pati pro liberatione humani generis.

III. dist. xx. art. 1. quæst. 3. & art. 4. quæst. 1. & opusc. 111. cap. vii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit necessarium Christum pati pro humani generis liberatione. Humanum enim genus liberari non poterat nisi à Deo, secundum illud Isa. xlv. 21. *Namquid non ego Dominus, & non est altera Deus absque me? Deus justus, & salvans non est præter me*. In Deum autem non cadit aliqua necessitas, quia hoc repugnaret omnipotentiae ipsius. Ergo non fuit necessarium Christum pati.

2. Præterea. Necessarium voluntario opponitur. Sed Christus propria voluntate est

(a) Ita cum mss. passim editi antiqui, & Nicolajus, Cod. Alcan. nisi tali sine consuppósito. Al.

passus: dicitur enim Isa. l.iii. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*. Non ergo necessarium fuit eum pati.

3. Præterea. Sicut in Psal. xxiv. 10. dicitur, *universæ Dñe Domini misericordiam, & veritatem*. Sed non videtur necessarium quod pateret ex parte misericordiae divinæ, quæ sicut gratis dona tribuit, ita videtur quod gratis debita relaxet absque satisfactione: neque etiam ex parte divinæ justitiæ, secundum quam homo æternam damnationem meruerat. Ergo videtur non fuisse necessarium quod Christus pro liberatione hominum pateret.

4. Præterea. Angelica natura est excellentior quam humana, ut patet per Dionysium iv. cap. de div. Nom. (à princ. lect. 1.) Sed pro reparatione angelicæ naturæ, quæ peccaverat, Christus non est passus. Ergo videtur quod nec etiam fuerit necessarium eum pati pro salute humani generis.

Sed contra est quod dicitur Joan. 1.11. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic oportet exaltari Filium hominis; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: quod quidem de exaltatione in cruce intelligitur. Ergo videtur quod Christum oportuerit pati.

Respondeo dicendum, quod, sicut Philosophus docet in V. Metaph. (text. 6.) necessarium multipliciter dicitur. Uno quidem modo quod secundum sui naturam impossibile est aliter se habere; & sic manifestum est quod non fuit necessarium Christum pati neque ex parte Dei, neque ex parte hominis. Alio modo dicitur aliquid necessarium ex aliquo exteriori: quod quidem si sit causa efficiens, vel movens, facit necessitatem coactionis; utpote cum aliquis non potest ire propter violentiam detinentis ipsum: si vero illud exterius quod necessitatem inducit, sit finis, dicitur aliquid necessarium ex suppositione finis, quando scilicet finis aliquis aut nullo modo potest esse, aut non potest esse convenienter (a) nisi tali sine præsupposito. Non ergo fuit necessarium Christum pati necessitate coactionis neque ex parte Dei, qui Christum definiti pati, neque etiam ex parte ipsius Christi, qui voluntarie passus est. Fuit autem necessarium necessitate finis: qui quidem potest tripliciter intelligi. Primo quidem ex parte nostræ, qui per ejus passionem liberati sumus, secundum illud Joan. 1.11. 14. *Operari exaltari filium hominis; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Secundo ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis: & ad hoc pertinet quod dicitur Lucæ ult. 26. *Nonne oportuit*

Christi-